

Thebas attinet Burtonus et Burgessius in Pentalogia tragica, excerptis Askewii Butlerus, Gaisfordii et Porsoni Blomfieldius.

*Askewiani.* Codices bibliothecae Parisiensis quorum collationes Needhamus acceperat. Apographis eorum nunc in bibliothecae Academiae Cantabrigiensis servatis usi sunt Askewianis Butlerus, ipsius Needhami Blomfieldius. Horum librorum primus

*Ask. A.* bombycinus, saeculi XIV. illo quo in Needhami usum conferebatur tempore bibliothecae Parisiensis erat 3320. Continebat Prometheus, Septem, Persas. Blomfieldius et Wellauerus eum *Regium G.* dixerunt, quam appellationem Hermanni commentarii non imitantur, ne confundatur hic liber cum *G.* hoc est cum Guelferbytano. Sed Hermannus aliquando eundem librum *Parisinum N.* esse putavit: unde in Prometheo et priore parte Persarum huic *Par. N.* ea quoque tributa sunt quae ex *Ask. A.* Butlerus attulit. Errorem (nam haud dubie error est) inde a versu Persarum 600. et in Septem adversus Thebas distinctis illis libris evitavi. Velle prius eum animadvertissem: verum si quid in eiusmodi re peccatum est, non nimium nocet, quum horum codicum omnium, praesertim non ita excessorum ut accurate cogniti sint, nulla sit auctoritas, sed singulorum vocabulorum bonitas aestimari et cum Medicei libri auctoritate comparari debeat. Blomfieldius in praefatione ad Septem adversus Thebas hunc codicem et *Par. B.* eundem esse dixit, idque se didicisse ab Elmsleio ipsumque monstrare editum bibliothecae regiae Parisiensis catalogum, in quo tamen catalogo non commemorantur antiqui codicum numeri.

*Ask. B.* chartaceus, eodem quo *Ask. A.* volumine comprehensus easdemque tres fabulas continens. Blomfieldii exemplo *Par. H.* dicitur.

*Ask. C.* bibliothecae Parisiensis olim 3330. easdem fabulas complexus, chartaceus, Blomfieldii exemplo *Par. K.* dictus. Quin idem sit *Par. F.* a Vauvillersio collatus dubitari vix potest. De *Ask. D.* sive *Par. L.* supra dixi p. VII.

*Aug.* Codex olim Augustanus, a Reisero p. 78. n. 9. commemoratus, nunc Monacensis 486. chartaceus, saeculi XV. Inest praeter alia Prometheus Aeschyli, sed hoc versu (687.) in media pagina finitus, *αἰσχιστον εἴναι φημι συνθέτονς λόγους.* Collatus